

conferebat, omnia, quae docebat confirmabat. Lucas habet, & omnis populus, ἀκούσας, cum audivisset. De populo eodem Paulus Actor. XIX, 5. ἀκούσαντες δὲ, cum verò audivissent, scilicet, Johannem, talia praedicantem. At plurale est apud Paulum, Respondeo, Plurale de eodem populo jam praecesserat versu quarto, ἵνα πιστεύσωσι, ut crederent. Johannes populo dixit, ut CREDERENT. Unde apparet, utrobique cum auditu fuisse conjunctam fidem. Uti est fides ex auditu, Rom. X, 17. Uti habuit uterque de populo, & de auditu, ita & de baptismo eodem. Lucas; βαπτισθέντες, baptizati. Paulus, ἐβαπτίσθησαν, baptizati sunt. Quo baptismo? Lucas ait; baptismo Iohannis. Ergone in Nomen Domini JESU Joannes baptisavit? Uti que. Qui docuit populum, ut crederent in Nomen JESU, is populum credentem in JESUM, baptisavit in JESUM. Inde Paulus: Quum verò audivissent, scilicet, Johannem docentem, fidemque in JESUM ex auditu concepissent, baptizati etiam sunt in Nomen Domini JESU. Est ergo connexio aliqua, eaque satis perspicua, sensus etiam est facilis, & planus. Non repugnat versus 6. Act. XIX. Samaritani Actor. VIII, 12. audiverunt Philippum, praedicantem Evangelium, hoc est, docentem de regno Dei, & de Nomine Jesu Christi, fidemque conceperunt, tùm verò baptisati sunt. Uti que baptismo Christi. Ita Lucas Actor. VIII, 12. de Philippo ea retulit, quae Paulum Act. XIX, 4, 5. dixit retulisse. Itaque Act. XIX, 6. sequitur: καὶ ἐπιθέντες, & cum imposuisset &c. Act. VIII, 17. τότε ἐπέθηκαν, tunc imponebant &c. Locus prior: Quare imponebat illis Paulus manus, venit Spiritus sanctus super illos, ut loquerentur linguis, & prophetarent. Alter: Tunc imposuerunt manus super illos, acceperuntque spiritum sanctum. Advertamus. Dixitne Lucas Act. XIX, 5. ἀκούσαντες δὲ τὸν Παῦλον, vel etiam, ἀκούσαντες δὲ αὐτὸν, cum vero audivissent Paulum, vel, cum vero audivissent eum? Nihil, Ergo λέγων vers. 4. & ἀκούσαντες vers. 5. relata sunt. Ipse Lucas hoc signo, scilicet vers. 6. τὸ Παῦλος, docuit, ad Paulum se redire, de quo in versu 4. initio dixerat.

F I N I S.

Coll. Diss. A 165, univ. 48